

II. Liberti lapsum alius exaggerant Pontificia indeficientia impugnatore; quem ( quantum ex D. Athanasio, D. Hilario, & D. Hieronymo colligere student ) triplici ex capite peccasse volunt, contra fidem Divinitatis Christi, & in Arianismum lapsum esse. 1. Quod Arianæ fidei formulæ Sirmienfis subscripserit. 2. Quod S. Athanasii Catholicæ fidei defensoris acerrimi damnationi perinde subscripserit. 3. Quod cum Arianarum partium Episcopis communicaverit.

Perperam tamen & inconsulte. Liberius quippe hæreticus Arianus re ipsa non fuit, nec Christi Divinitatem corde negavit & animo; tametsi Arianorum artibus deceptus, nonnulla tentavit imprudenter, quæ illum officio defuisse suo, plus satis probant. Arianæ fidei formulæ, quæ & Sirmienfis dicta est, tandem aliquando subscripsit; non quæ Christi Divinitatem negaret aperte, sed quæ vocem *Consubstantialis* simpliciter reciteret. Idque ideo fecit, quia fidei summam ea in voce non stare existimabat, quæ pravo etiam sensu a multis accipiebatur. Christique Divinitatem, ejusdemque cum æterno Patre æqualitatem teneri diceretur posse arbitratur, ea missa tacitaque voce, risarum jurgiorumque plenissima; quæ idcirco pro hono pacis omitti posset, in edenda fidei professione. S. Athanasii damnationi perinde subscripsit, quod illius causam a fide se junctam crederet; eumque damnatum arbitraretur; ob delicta ad mores & externam Ecclesiæ disciplinam spectantia. Cum nonnullis tandem Arianarum partium Episcopis communicavit, utriusque deceptus ab iis, qui Ariam ipsum damnare se simulabant.

Sed effi daretur, Liberium in tota illa ludenda scena, Arianæ hæresi subscripsisse, atque in eam corde & animo consensisse: non inde consequens foret, Romanum Pontificem ( quod nunc maxime queritur ) falli posse, in ferendo solenni de fide iudicio. Quid enim egisse, quidquid subscripsisse Liberius dicitur, egit subscripsitque in exilium actus ac pulsus, minis undique perterrefactus, pristinaque libertatis recuperandæ desiderio fractus ac viduus. Qua vero forte in eo rerum concursu, summa libertas, matura deliberatio, Cleri Romani consultatio, Liberti gestis acceperunt, ut solenniter atque ex Cathedra Arianæ hæresi subscripsisse dici possit?

III. Momentum non leve petunt adversæ sententiæ vindices, ex iudicio Romæ lato, a Melchidae Pontifice summo, una cum assidentibus Episcopis decem & octo, contra Donatistas, in gratiam Cæciliani. Non quod eum, eo in iudicio, quo Cæcilianum Donatistarum calumniis oneratum absolvaret, errasse velint, absit; sed quod illum errori obnoxium existimaverit Constantinus una cum Concilio Arelatenfi. Quod satis superque illis est, ut Romanos Pontifices non esse infallibiles probent. Cum enim, inquit illi, ab eo Melchidae iudicio appellasset Donatistas, Constantinus Magnus Arelatense Concilium indixit, ut in numerosiori Patrum conventu, ( ducentorum scilicet Episcoporum, ut admonet Augustinus lib. 1. contra Epist. Parmeniani ) expenderetur, recte ne Melchidas iudicasset, & Cæcilianum absolvisset. Adeo scilicet illis jam temporibus æstimatum erat, posse Romanum Pontificem in ferendo solenni iudicio aberrare. Quia etiam, addunt illi, eam Donatistarum Appellationem secutus inde temporibus iustam habuit D. Augustinus; & iudicium Melchidae, ceterorumque Episcoporum, a plenario Concilio reformari potuisse existimavit Epist. 162. *Ecc. inquit, ponamus eos Episcopos, qui Romæ iudicaverunt, non fuisse bonos iudices; restabat adhuc plenarium Ecclesiæ*

*universæ Concilium, ubi etiam cum ipso iudicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti fuissent, eorum sententiæ solverentur. Igitur Romani Pontificis iudicium, solvendum etiam cum assidentibus Episcopis latum, falli potuisse; atque ita corrigi & reformari a plenario Concilio debuisse, censuit Augustinus, censuit & Constantinus, imo censuit Arelatense ducentorum Episcoporum Concilium, in quo Cæciliani causa retractata est.*

IV. Uno statu tota ea machina disturbatur; si videlicet observetur, causam Romæ sub Melchidae Papa tractatam, non juris & dogmatis fuisse, sed facti, & quidem privati ac mere personalis; in quo non modo Pontifices, sed & Concilia generalia errare possunt, & ab aliis emendari. Querebatur enim an Felix Apungitanus Episcopus Cæciliani ordinator Sacros libros infidelibus tradidisset? an etiam ipse Cæcilianus elemosinas subtraxisset, quas pia fidelium liberalitas Confessorum vidui destinaverat?

Addo tamen ad juris abundantiam: Donatistas inique prioris ac per summam injuriam a Melchidae iudicio appellasse, & Constantinum Imperatorem repugnant animo Arelatense Concilium, ad novum causæ examen dedisse, Donatistarum importunitati cedendo. Ita D. Augustinus Epistola supra laudata, *Dedit aliud Arelatense Concilium; non quia necesse erat, sed horum importunis clamoribus cedens. Et omni modo cupiens tantam insolentiam cohibere.*

Quæ vero lætantur Sanctissimi Doctoris verba, *Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium &c.* perperam & in contrarium sensum accipiuntur, nec approbationis verba sunt, sed increpationis ironica, qua interjectam a Donatistis Appellationem, tanquam postremum petulantia & audacia conatum improbabat: quali diceret, *Nihil restabat adhuc audacia & impudentia vestra, quam ut plenarium Ecclesiæ Concilium celebrari peteretis, in quo Melchidae iudicium rescinderetur, quod fuit impieque fecistis: Id unum ut tentaretis reliquum fuit.* Ut plane viro facinoroso, in desperationem tandem acto solemus dicere, *nihil tibi restat, quam ut laqueo te suspendas:* quod utique non probando dicimus, sed desperationem exaggerando.

Quid ni quoque dicamus, ita dixisse Augustinum, *ad duritiam cordis Donatistarum*, qui Melchidae iudicio stare nolebant; ut eos saltem adduceret ad plenarii Concilii iudicium postulandum potius quam ad schisma faciendum; utpote malum longe minus.

## CAPUT X.

*A Zozimo, Hormisdæ, Vigilio, Honorio. Hæreticus culpa depellitur.*

I. N errantium Pontificum ordine ponitur ab æmulis Zozimus, eo nomine quo Pelagium & Cælestium putidos hæresiarchas, tanquam erroris pueros abolverit; libellum quo illi suam de gratia Christi & de peccato originali sententiam exposuerant, catholicum dixerit; Eretum & Lazarum illorum accusatores, tanquam malignos criminatores traduxerit; ut patet ex ejus Epistola ad Augustinum ejusque Collegæ Africanos Episcopos data, notatque Augustinus ipse lib. 2. ad Bonifacium Cap. 3.

Constat nihilofecius totum id fecisse Zozimum errore facti, non juris; hæresiarcharum artibus circumventum: quod illi errores suos porrecto libello supplici cate dissimulasset; correctionem & emendationem, si forte peccassent, spondissent; & Sedis Apostolicæ iudicio se se submitte-

re simulassent: teste Augustino ipso lib. 2. ad Bonifacium Cap. 3. *Quum se literis Papæ Innocentii, qui Pelagianam hæretim damnaverat, consentire Cælestius respondisset; & se omnia que Sedes Apostolica damnaret, damnaturum esse promitteret; Imo quum Catholicum sensum mentitus esset hisce verbis modestia plenis; Non ego quasi auctor alicujus dogmatis definita hæc auctoritate statui, sed ea que de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri Apostolatus offerimus probanda iudicio: ut si forte tanquam hominibus quispiam ignorantia error irrepisset, vestra sententia corrigatur.* His motus est Zozimus, ut oblatum sibi libellum catholicum pronunciarer; non habita ratione propositionum & dogmatum, quæ forte contineret fraudulentè expressa, sed spectato Catholicæ mentis affectu, quem ad speciem præferbat. *Voluntas emendationis, subjungit Augustinus, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dicitur est; quia & hoc catholice mentis est, si que serio aliter sepi, quam vestris exigis non ea certissime definire, sed detecta & demonstrata respuere.* Quapropter ubi Zozimus ex literis Africanorum Episcoporum, fuisse se a Cælestio & Pelagio delusum intellexit, eisdem ille damnavit atque proscripsit.

Addo, Zozimi responsum ad Cælestii libellum, præterquam quod ex obreptione facti datum est, iudicium solenne ex formula latum dici non posse; sed meram commendationem supplicantibus interim datam, donec facti veritas innosceret. Unde Zozimus in Epistola ad Africanos Episcopos sic agebat; *in præsentis causæ nihil præcox immaturumque consimus; sed volumus innoscere Sanctitati vestra super absoluta Cælestii fide nostrum examen; cui etiam prior libellus ab eo intra Africanam datus testimonio apud vos esse debuisse; ne inexploratis famæque lætatis tam facile crederetur. Quare intra secundum mensem aut veniens, qui presentem redarguant aliter sentire, quam libellus & confessio contineant; ut nihil post hæc tam aperta, & manifesta que prætulit, dubii Sanctitas vestra resedisse cognoscat.*

II. Eidem errantium Pontificum indiculo ab æmulis inseritur S. Hormisdas, hæc una de causa, quod famosam illam Monachorum Scytharum propositionem, uti hæreticam damnarit, *Unus de Trinitate passus & crucifixus est carne;* quam postmodum Joannes II. uti orthodoxam approbavit, in Epistola ad Justinianum Imperatorem, probaturque deinceps quia Synodus Oecumenica Can. 10. & Concilium Lateranense sub Martino V. Can. 2.

Errorum nihilofecius excusat ac longe depellit varius sensus, qui nai eisdemque propositioni subesse potest. Hormisdas enim propositionem illam a Monachis assertam existimavit in sensu *formali* atque *reduplicante*, ut Viri de Schola loquuntur; atque ita tanquam Eutychnianam damnavit. Christus enim passus mortuusque non est *formaliter*, & *reduplicative*, ut Deus est, & una de Trinitate persona. Joannes vero, laudatque Concilia assertam a Monachis propositionem existimavit in sensu, ut Schola loquitur, *materiali*, & *specificante*, & per communicationem idiomatum; atque ita Catholicam judicavit. Quia secunda Trinitatis persona naturam illam humanam assumpsit, quæ & passæ & mortuæ est.

III. Ex trium Capitulum Historia momentum petitur haud ita forte contemnendum, ut Vigilus R. Pontifex in errore Nestoriano aliquando fuisse demonstretur. Tria siquidem Capitula, hæc est, Scripta Theodori Mopsuesteni, Scripta Theodoretii Cyri Episcopi contra S. Cyrillum, & Epistolam Iba Edesseni Episcopi ad Marim Perlam, ut erroris pura & illibata defendit pri-

mum Vigilus Romanus Pontifex; eo maxime titulo, quod in Concilio Chalcedonensi lecta illa fuissent, nec tamen ab iis Patribus reprobanda. Postmodum eadem illa Scripta damnavit, sub conditione saltem, atque restrictè, salva scilicet auctoritate Concilii Chalcedonensis. Postmodum tandem Justiniani Imperatoris suavis illectus damnavit, uti plena erroris atque perfidia, post quinti Concilii generalis celebrationem. Necessè igitur est, ut dum ea scripta probaret primum, in errore versaretur; cum eadem scripta & probari & damnari, sine aliquo errore non possint.

Obvia responso est, errorem facti dogmatici illum fuisse, non juris seu dogmatis atque doctrinae. Nestorianum enim, uti & Eutychnianum errorem perinde execratus est semper Vigilus Romanus Pontifex; unamque in Christo personam, geminamque naturam agnovit semper; de sensu tamen trium Capitulum aliquando dubitavit; in quam scilicet partem seu catholicam, seu hæreticam inclinaret: eaque Capitula benignius quam par esset, interpretatus, utriusque erroris pura existimavit, & Nestoriani & Eutychniani; adeoque damnare voluit: tum quod ea indamnata reliquisset Concilium Chalcedonense; tum quod eorum auctores jam facto cessissent, nec satis honestum videretur illorum manes sollicitare. Secutus tamen inde temporibus, trium Capitulum sensu diligentius ac maturius expenso, feliciterque intellecto, eadem illa ut errori plus æquo faventia damnavit. Quapropter qui in priori de illis iudicio contigit error, facti quod ajunt dogmatici fuit, non juris seu dogmatis atque doctrinae. Ita Vigilium excusat Pelagius II. Romanus Pontifex, Epistola ad Episcopos Histræ, & de mutata sententia laudat impense. *Si igitur in trium Capitulum negotio, aliud, cum veritas quæretur, aliud inventa veritate dictum est: cur mutatio huic Sanctæ Sedi in crimine obijcitur, que a cuncta Ecclesia in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem vestri intentio incommutabilis permanet, quid obstat si ignorantiam deversis verba permittat?*

Certe non modo Romanos Pontifices, sed ex ipsa Concilia Oecumenica in errorem facti dogmatici incidere posse privato cuidam Scriptori peregrinum sensum affingendo, docent ipsimet Cardinales; Infallibilitatis Pontificis defensores acerrimi: Turrecremata lib. 2. de Ecclesiæ capite 93. Baronius in Annalibus ad annum 681. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini lib. 7. cap. 14. Card. Laurena in discussione de formula Archiepiscopi Mechliniensis. Card. Aguirre Tom. 2. Conc. Hispani. ad Conc. VI. Tolet. Nec propterea Jansenianis ansæ datur damnationem in Jansenium a Summis Pontificibus latam eludendi; quod in Jansenii sensu dignoscendo ( quod dogmaticum est ) errare illi poterint. Quamquam enim ea in parte, errare illi possent absolute, reipsa tamen non errasse, milles est demonstratum. De quo plura in Prologo galeato.

IV. Acris multo & animosus factum Honorii I. Romani Pontificis urgere solent Pontificis indeficientia impugnatore. Honorius, inquit illi, datis ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum Epistolis, in Monothelitarum hæresim incidit. Unam scilicet in Christo voluntatem professus est, unamque operationem: interimque œconomia causa, ac bonæ pacis studio abstinendum censuit ab unus & duplicis voluntatis vocabulo. Qua de causa in actis sexti Concilii Oecumenici, actione 13. anathema illi perinde dictum est, ac ceteris Monothelitis, Sergio, Cyro, Pyrrho, & Pau-



& Paulo: quod & in Actis septimæ & octavæ Synodi confirmatum est. Quin etiam Leo II. Successor ejus in Epistola ad Constantium Imperatorem, eundem inculcat, quod *fidem immaculatam subvertere conatus sit*.

Si tamen rem ipsam totam penitus perpendamus, comperiemus, Honorium quidem imprudenti œconomia usum, indictoque unius aut duplilis voluntatis silentio, hæresi Monothelitarum oblique favisse, eandemque uti debuerat non illico respicere: Monothelitam tamen re ipsa, hoc est sensu, & opinione non fuisse; sed duas in Christo voluntates agnovisse, divinam scilicet & humanam. Quod ergo unam in Christo voluntatem obiter dixit in Epistolis ad Sergium datis, de Christo simpliciter ut homine dixit, quod una sit tantum in eo voluntas humana, tam secundum affectum, quam secundum naturam; quod contra contingit in nobis, quibus ob contractum naturæ vitium, duplex voluntas secundum affectum inesse dicitur, spiritus nimirum & carnis. Pater id ex ipsa ratione, qua Honorius unam esse in Christo voluntatem ostendit. *Unam, inquit, in Christo Domino voluntatem scemur, quia a Divinitate assumpta est natura, non culpa. Et paulo post, Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori: quia super legem natus est humane conditionis.* Quæ ratio si quid probat, id probat unice, fuisse in Christo ut homine unicam voluntatem, consensione, affectu, atque concordia, absque ulla carnis ad spiritum pugna. Patet id quoque ex testificatione Joannis Abbatis, qui Honorio in scribendis Epistolis amanuensis fuerat. Sic enim ille & suam & Honorii mentem exposuit: *Cum scripsisset Sergius, esse aliquos qui dicerent, in Christo duas esse contrarias voluntates; rescriptus Christus non habuisse duas contrarias voluntates, carnis inquam & spiritus; sed unam tantum, quæ naturaliter humanitatis ejus character est. Id ita esse, evidenter ex hoc monstratur, quod membrorum & carnis facta est mentio, quæ divinitati ejus non possunt attribui.*

V. Quod vero ad ipsa spectat Acta Conciliorum generalium, in quibus Honorio Romanæ Sedis Episcopo anathema dictum est, perinde ac ceteris Monothelitis, Sergio, Cyro, Pyrrho, quadruplex responso suppetit.

Prima est Baronii, Bellarmini, Marthesii, aliorumque, qui corrupta vitataque dicunt Acta sextæ Synodi Oecumenicæ; Græcorumque fraude inferum per summum nefas Honorii nomen, loco Theodori ab iisdem expuncti. Quam tamen responfionem Eruditi alii minus probant, minusque nos ipsi probamus. Est enim in Actorum exemplar, quod Constantinopolim ad futuram rei memoriam servatum est, interpolatrices manus immittere Græci fortasse potuerint; non in alia tamen, quæ in alii Ecclesiis, puta Alexandrina, Antiochena, Jerosolymitana, maxime vero Romana servata sunt; in quibus tamen omnibus inferum perinde legitur nomen Honorii. Quid quod idem inferum peræque conspiciunt in Actis septimæ & octavæ Synodi, in Epistolis quoque Leonis II. & Adriani II. aliorum Monothelitarum nominibus immixtum? Itane omnia abique gentium exempla, Græcorum fraude vitata putabimus, atque corrupta?

VI. Altera aliorum Eruditorum responso est, Sextæ Synodi Patres ex errore facti dogmatici, Honorium vero Monothelitam censuisse, atque ita Anathema dixisse; quod illius Epistolæ ad Sergium data sensum minus sint affectui. In quem facti errorum Concilia etiam Oecumenica incidere posse, nemo nescit. Valeat si superis placet ea responso: at meo quidem iudicio, si Hono-

rium a Monothelitarum errore liberum facit, Pontifices tamen in errorem incidere posse, probat aperitissime. Ex quo enim Sextæ, Septimæ, & Octavæ Synodi Patres, Honorium in hæresim lapsum pronunciarunt; (est non intellectus illius Epistolæ, iudicium fecerint,) id pro certo supposuerunt, labi illum in hæresim potuisse. Numquam enim eum lapsum in hæresim dicerent, quem in hæresim labi non posse, pro certo ponerent.

VII. Tertia eaque frequentior Theologorum responso est, anathema Honorio fuisse dictum, quod imprudenti œconomia, turpi fœcordia, ambiguis loquendi formulis, Monothelitarum errori plus æquo favorit, non quod eum re ipsa tenuerit & docuerit. Quod amplioribus verbis declarat Leo II. Epistola ad Episcopos Hispaniæ data, eundem ipsum inculcans, quod *flammam heretici dogmatis incipientem, non sicuti debuit, extinxit, sed negligendo confortavit.* Et Epistola ad Imperatorem Constantinum, *Ecclesiam Apostolicæ traditionis doctrina illustrare neglexit, fidemque immaculatam maculari permisit.* Non ut falso recitent adversarii, *fidem immaculatam subvertere conatus est*: quæ spuria falsaque Græci textus versio est.

VIII. Postrema responso est, Epistolas Honorii ad Sergium datas, ex quibus tertia illa propugnanti erroris suspicio nata est, & propter quas anathema dictum illi fuit, privato nomine scriptas esse, ut privatam de abortu Monothelitarum errore sententiam diceret; non ut quidpiam ea de re Apostolica auctoritate definiret. Easque Epistolas nulla præmissa consultatione, nulloque Cleri Romani habito consilio fuisse datas: quæ duo ad solenne Sedis Romanæ iudicium necessaria dicuntur. Atque ita, si forte iis in Epistolis errorem purum putumque docuisset Honorius; colligi inde non potest, Honorium ex Cathedra, ut modo quaeritur, desinentem ac decernentem errasse; sed ut privatam doctorem, privatam scribentem Epistolam cespitasse.

## CAPUT XI.

Gregorii III. Stephani II. Nicolai I. Responso variis Consulitoribus data, erroris puri demonstrantur.

IN scenam a Pontificæ infallibilitatis impugnantibus inducitur Gregorius hujus nominis tertius, quasi qui Ecclesiæ fidem, quam de indissolubilitate Matrimonii profertur, ex tribunali violaverit; dum a Bonifacio Moguntino Episcopo de variis capitibus interrogatus, qualiter de iis teneat ac doceat Romana Ecclesiæ, hoc illi per Epistolas responsum dedit: *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus facere debeat jugalis? Respondeo, bonum esset si sic permaneret, ut continentie vacaret: Sed quia hoc magnorum est, illo qui se non poterit continere, nubat magis. Nempe desinit, inquit illi, Gregorius III. mulieris illius virum, quæ pro infirmitate debitum conjugale reddere nequit, uxorem alteram posse ducere; quod certe erroneum est. Unde Gratianus in hoc Gregorii responsum intendens, 3. p. c. 32. q. 7. hanc illi notam appinxit: *Illud Gregorii dictum Sacris Canonibus, & Evangelicæ doctrinæ adversatur.**

Non est tamen ita ut fingunt morosi censores. Responsum quippe Gregorii de ea muliere intelligendum est, quæ debitum viro reddere nequit, propter infirmitatem Matrimonium præcedentem, quæque perpetuam impotentiam adjunctam habet, sed

sed ante Matrimonium non innoverat. Quod utique responsum sic intellectum, tantum abest, ut facis Canonibus, & divino juri adversetur, ut potius congruat maxime; toto ferme titulo *de frigidis, & maleficiis.* Quare Gratiani nota rejicienda, ut imprudens, & Pontificæ auctoritati injuria. Mirumque omnino est, non fuisse illam expunctam a Decreti Correctoribus, a Gregorio XIII. ad illius emendationem deputatis, Sed de Decreto ipso emendandum cogitarunt illi, non de notis ad Decretum castigandis. Unde & alias tam multas intactas reliquerunt, quæ eruditorum omnium iudicio, spongia longe magis agebant.

Nihil melioris criterii specimen edunt, qui in eodem Gregorii III. Rescripto reprehendunt, quod Capitibus 1. & 4. præceptum est: *ut qui baptizati sunt a Paganis, alitque Judaicorum rituum observatoribus, in nomine Sanctissimæ Trinitatis baptizentur.* Ad cautelam enim duntaxat præceptum hoc est: quia de Judæis illis atque Paganis maxime dubitatur, an cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis, quam profus ignorant, Sacramentum Baptismatis ministraverint. Non ita tamen faciendum injunctum est, si illos Evangelicam formam servasse constituerit.

II. In eadem pari fidentia tenam inducunt auctoriores Aristarchi Stephanum II. ut qui perinde fidem Ecclesiæ de materia Baptismatis violaverit; dum a Monachis Monasterii Britannici interrogatus, quid de Sacerdote sentiendus esset, qui periclitantes pueros aliquos vino baptizaverat, propterea quod aqua copia illi non esset, ita respondit Cap. 2. Rescripti ad Monachos dati: *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, animo periclitantes infantes baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa: Infantes sic permanent in Baptismo. Quasi dixerit, Infantum Baptisma ratum esse, atque ita non iterandum.*

At modo observant imprudentes, mendosum esse Rescripti Pontificii textum; nec legendum, *Infantes sic permanent in Baptismo*; quasi absoluta locutio sit, quæ ratum minimeque iterandum Baptisma decernat; sed conditionata in hunc modum: *Nulla Sacerdoti adscribitur culpa, si infantes permanent in Baptismo, in vino suscepto.* Ita quippe probati Codices habent, Stephanus ergo Romanus Pontifex, de valore baptismi in vino collocati interrogatus non erat, quem nemo sanæ mentis dubitare poterat irritum esse; sed de culpa duntaxat hominis baptizantis quaerebatur; num videlicet aliqua censura plecendus esset. Hunc porro nulla culpa teneri, nullaque poena plecendus esse responder Pontifex: quia cum aliud non posset in extremo periculo, (cum non esset aque copia) id per simplicitatem fecit, quod postea potuit elapso periculo emendari. Nec ipse in causa fuit, cur infantes aqua baptizati non sint, quæ sola Baptismatis materia est.

Non dissimile quidpiam sub Marco Aurelio Antonino contigisse, narrat Nicephorus Callixtus Lib. 3. Historiarum Cap. 37. in persona cuiuspiam Judæi, repentino morbo correpti in solitudine, & ad Christi fidem derепente conversi. Qui cum Sacrum Baptisma a viatoribus postulasset, nec adesset illic aque copia; per summam simplicitatem, *injecta ter in illum arena, vice aquæ, baptizatus est*; quod ille accepto baptismate, derепente pristinae sanitati restitutus est: non quidem virtute Baptismatis, quod nullum omnino fuit, sed virtute fidei pietatisque Judæi ipsius, ad Christum derепente conversi. Nulla tunc viatoribus illis adscripta est culpa a Dionysio Alexandrinorum Episcopo, ad quem delata res est; quod id eos, in illis angustiis, per simplicitatem

fecisse cognoverit; sed Judæum vero aque Baptismate exiavit.

III. Nicolaum tandem hujus nominis I. in violatæ fidei crimen vocant morosi Romanorum Pontificum Censores; quod a Bulgaris de Baptismo a quodam Judæo, seu forte Pagano collato interrogatus, valeretne, an non, hoc illis Responsum dederit, Cap. 104. ad Consula Bulgarorum: *A quodam Judæo, nescitis, an forte Pagano, multas in Pavia vestra baptizatos asseritis. Et quid de illis sit agendum consulitis. Profecta si in nomine Sanctissimæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi baptizati sunt, constat eos non esse denovo baptizandos.* Quo responso decernit, inquit, contra quos fides habet, Baptisma in solo nomine Christi collatum, esse validum, atque ita minime iterandum.

Inconsulte tamen & ignoranter in eo Nicolai I. Responso cavillantur. In primis enim necdum est Catholica fide certum, Baptisma in solius Christi nomine collatum, nullum esse, atque ita necessario iterandum. Validum quippe docent Theologi nonnulli summe Catholicæ, quos nulla unquam censura notavit Ecclesiæ. Esti ergo secundum eorum Theologorum sententiam pronunciasset Nicolaus I., nihil contra catholicam fidem definitivè sentendus esset. Secundo in Nicolai Responso duo sunt accurate distinguenda; unum de qua a Bulgaris quaerebatur, quodque ex instituto decernit atque definit; alterum de quo illi mota questio non erat; quodque obiter ac præter institutum attingit. Primum tanquam Romanæ Sedis oraculum excipiendum est; alterum tanquam privati Doctoris opinatio habendum venit, & ex Cathedra minime profectum. Quod a Bulgaris quaerebatur, id unum erat, utrum Baptismus a Judæo, vel Pagano collatus validus esset: huncque validum definit Nicolaus, infidelitatemque conferentis nihil valori Baptismatis obfuisse pronunciat. Quod autem obiter & intranscursum, ac præter institutum attingit, disjunctiva illa est responfionis assuta, *vel tantum in nomine Christi.* Non ergo eo dato responso erravit Nicolaus ut Pontifex, sed uti privatus Theologus; S. Ambrosii, quem in sententia sua confirmationem adducit, auctoritate delusus. Ita Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis Cap. 8. Guillelmus Estius in 4. Sent. dist. 3. §. 5. Franciscus Silvius in 3. part. quest. 66. Artic. 6. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice Cap. 12.

IV. De cætero ut omnibus pateat, quam utiliter ea nobis Gregorii III. Stephani II. Nicolai I. aliaque non ab familia Romanorum Pontificum responfa variis Consulitoribus data indefinitum obiciantur, ad illorum in ferendo ex tribunali iudicio asphaliam oppugnandam; præstat prudentem Theologorum Lovaniensium animadversionem, coronidis instar adijcere; quæ nebulae illæ omnes facile depelluntur. *Non omnia, inquit illi, quæ Pontifex etiam consulens scribit, aut rescribit tanquam vir doctus, & potestatem habens, mox habenda sunt pro destinatione Sedis Apostolicæ. . . . Multa enim referuntur ad Summum Pontificem tanquam ad supremum iudicem, non quidem semper ut ipse tanquam universalis doctor, & infallibilis Spiritus S. assistentia illa dijudicet: sed sæpius tantum, ut auctoritate suprema, secundum suam sapientiam, & prudentiam particularem desuper dicat iudicium, & difficultatibus quæ in sacro sic occurrunt, faciem aliquem imponat, donec saltem pleniori examine præmissis, si res sit gravior, & ad fidem, vel bonos mores tendens, ex Cathedra a Pontifice definitur. Perperam ergo ea Pontificum Responfa sine defectu obiciantur; nec prius*



prius quo titulo responderint, accurate perpenditur.

## CAPUT XII.

*De violata religione, ac fide purgantur Stephanus VII. Sergius III. Caesarius II. Alexander III. alique R. R. Pontifices.*

**L**Uctuosam Formosi & Stephani VII. tragediam, seculo nono cadente, & decimo ineunte peractam, in memoriam revocant Pontificia dignitas ofores, ut ex repugnantibus invicem Romanorum Pontificum iudiciis, ea in causa laici, eorumdem infallibilitatem oppugnent. Stephanus VII., clamant illi, Acta Formosi Papae praedecessoris sui in irritum misit, omnesque ab eo ordinatos reordinari iussit. Tum Theodorus II. & Joannes IX. Acta ipsa Stephani ex opposito resciderunt, Formosique Acta probarunt: ac tandem Sergius III. Acta Formosi denuo irritavit, & Stephani Acta confirmavit. Aut ergo Theodorus & Joannes Formosi defensores in errore fuerunt, aut Stephanus & Sergius errasse iniquissime convincuntur.

Luctuosam ego tragediam agnosco, uti & agnoscent prohi omnes; in qua fautor bona fide Stephanum & Sergium pessimum exulcerati contra Formosum animi exemplum dedisse. Verum utrumque res ipsa cessit, fatendum perinde, tragediam illam totam, ad oppugnandam Romanorum Pontificum, in iudicandis fidei morumque questionibus, indecentiam ineptissime trahi: cum facti, & quidem personalis, non juris quaestio tunc fuerit. Summa quippe quaestio erat, fuisse Formosum legitimum Pontifex, seu ad eam dignitatem legitime electus, an per vim & simoniam intrusus? Quare qui Acta eius resciderunt Stephanus & Sergius, illegitime electum arbitrabantur; qui ex opposito restituerunt & confirmarunt Theodorus & Joannes, electum legitime iudicaverunt. Ubicumque tamen erratum sit, facti & quidem personalis fuit error, non dogmatis.

Neque refert, quod qui primus Formosi Acta rescidit Stephanus VII. omnes ab eo ordinatos reordinari iussit: quasi vel sic errarit in dogmate; quo certo creditur, Ordinationes etiam ab intruso Episcopo factas, esse validas, atque ita minime iterandas. Eum quippe nodum solvunt Theologi multis modis. Bellarminus Formosi Ordinationes iterari iussas esse dicit a Stephano VII. non lata ex Tribunali sententia, sed praecipiti iracundiae motu. Joannes Morinus non esse certum ait, aut certe non esse dogma fidei, Ordinationem imprimere Characterem, atque ita non esse iterandam, dum ab Episcopo excommunicato, degradato, intruso confertur. Alii ferme omnes reponunt, Ordinationes a Formoso factas, iteratas non fuisse simpliciter & absolute, iis secundo peractis, quae ad substantiam spectarent huius Sacramenti, sed secundum quid; nonnullis scilicet adhibitis caeremoniis, per quas ordinati prius a Formoso, atque ita a iure suspensi, liberam suorum Ordinum executionem receperunt.

II. Caesarium III. gravioris erroris accusant audacior Aristarchi, quod in Decretali sua *laudabilem* defrauerit, Matrimonium inter fideles, contractum omnino solvi, si Conjugum alter a fide defecerit: adeo ut qui perseverat in fide, possit alterum cum altero contrahere matrimonium. Sic porro definitum Caesarium, probant testimonio Innocentii III. R. Pontificis Cap. *quanto*, de *divorciis*. Ille enim de hac ipsa questione interrogatus, respondit quidem Matrimonium eo etiam in casu non solvi, mulieremque

a viro in infidelitatem lapsa desectam, alteri viro propterea jungi non posse, subiungit vero, *licet quidam Praedecessor noster aliter sensisse videatur*: ad marginem autem notatur Decretalis *laudabilem* Caesarii III. *de conversione conjugatorum*; ubi non solum aliter sensisse videtur Caesarius, sed palam aperteque pronunciat. Non extat modo Decretalis illa Caesarii in novis Decretalium collectionibus, a quibus merito expuncta fuit, tanquam erronea; extat tamen in peculiari Decretalium relectorum collectione, quam ad Eruditorum informationem Antonius Augustinus adornavit.

Incurantur & alii Romani Pontifices, tacitis illorum nominibus, quod errorem alterum eidem affinem defrauerit: Matrimonium scilicet ratum cum uno, solvi per Matrimonium consummatum cum altero. Idque illis definitum liquet aperte, ex Responso Alexandri III. *Cap. licet*, de *Sponsa duorum*. Ubi cum iuste meritoque decernat, ob superveniens Matrimonium consummatum cum aliquo, ratum praecedens cum alio solvi non posse, subiungit, *quamvis a quibusdam Praedecessoribus nostris aliter sit aliquando iudicatum*.

Ad quorum tamen Pontificum excusationem notare sufficiat, quantum ad nostrum attinet institutum: binas illas quaestiones de Matrimonii solutione, seu dum Conjugum alter a Catholica fide discedit, seu dum alter Matrimonium cum tertio consummat, ad fidei minime pertinere. Atque ita si in iis decidendis solvendisque, falsi sunt aliqui Romani Pontifices, errasse in fide dici non possunt.

Addiderim tamen cum Melchior Cano, hoc idem argumentum pertractante lib. 6. de locis Theologicis Cap. 8. Responso Romanorum Pontificum, ad privatorum Consultationes data, pro decidendis privatis conscientiae casibus, (qualia bene multa continentur in corpore Juris) non illico censenda esse solenniter ex Cathedra pronuntiata, nisi verbis imperantibus data sint, quibus ita se ex auctoritate definire, atque decernere, palam aperteque significent. Tunc enim solum, & non aliter, ex Cathedra seu tribunalia iudicare Pontifices reputantur. Porro verisimile non est, Caesarium, ceteroque Pontifices, ad binas illas de Matrimonii solutione quaestiones respondisse, verbis canonicam definitionem decretumque sonantibus, sed privatam ipsorum, de re quaestita opinionem, atque sententiam referentibus; quibus ne fideles quidem ad credendum adstringant. Neque movet quod Alexander III. in objectione laudatus, quosdam Praedecessores suos aliter aliquando iudicasse dicat. Anceps enim est huiusmodi vocabuli vis; nec semper sententiam ex tribunali ferre significat; sed opinari, *utro existimare* quandoque sonat. Atque adeo si ita nunc de Matrimonio rato iudicando, errarunt Pontifices illi ab Alexandro III. citati (uti profecto errasse illos certum est, sin minus contra fidem, at certe contra praeceptos Canonum) solenniter, seu ex Cathedra atque ex tribunali pontificio non errarunt. Quod unice in praesenti disputamus.

III. In Alexandrum III. pari audacia censoriam virgam exercent, quia Cap. *cum esset*, de Testamento definit, *Alienum esse a generali Ecclesiae consuetudine, & a divina lege, & Sanctorum patrum institutis, ut Testamenta, nisi quinquae vel septem testium fuerint subscriptione munita, penitus rescendantur*: Subque interminatione anathematis prohibet, *ne quis eiusmodi audeat Testamenta rescindere*. Unde & Cap. sequenti iudicibus mandatur, *ut in id genus causis, res duosque solummodo testes exigant; nec civiles leges, sed canonica decreta sequantur*. Qua in re falsum in fide Alexan-

xandrum contendunt; ut qui pronunciet legem aliquam esse divinam contrariam, quae re vera contraria non est.

Audacter nimis & inconsulte, Alexander enim non id statuit universim pro quibuscumque Testamentis, sed pro iis duntaxat, quae sunt ad pias causas; de quibus Ecclesia ex propriis legibus iudicat: nec pro toto Orbe Christiano, sed pro statu duntaxat Ecclesiastico, quem & spiritualiter & temporaliter subiectum habet; pro quo potest Pontifex peculiare leges condere, legibus civilibus communi usque servari solitis repugnantibus.

Neque obest si dixerint importuni Censores, Alexandrum non id tantum decernere, quod decernere iure summo potuit; sed falsam Decreti sui rationem asserere; alienum scilicet esse, & a lege Divina, & a Patrum statutis, & a generali Ecclesiae consuetudine, quod quinquae vel septem testes ad huiusmodi testamentum desiderantur. Reponit enim sapientissime Melchior Cano lib. 6. de locis Theologicis Cap. 8. (In Decretis Pontificis duo cum primis distinguenda sunt: unum est tanquam intentio conclusioque Decreti; alterum quasi ratio & causa a Pontifice reddita ejus rei quam constituerit. Atque in conclusione Pontifices summi errare nequeunt, si fidei quaestionem ex Apostolico tribunali decernant. Sin vero Pontificum rationes necessariae non sunt, ne dicam aptae, probabiles, idoneae; in his nihil est videlicet immorandum. Non enim pro causis a Pontificibus redditis, tanquam pro aris & focis depugnamus. Alexander igitur non definit consuetudinem illiusmodi, quod vel septem testes exigendi in testamentis, esse divinam legem contrariam; sed (quod juris peritis fere placere video) jubet ut in legatis piis, duo vel tres solum testes a iudicibus exigantur. Haec Decreti huius conclusio est, hic finis: nec dubium est quin rem eam Pontifex iure quodam suo potuerit praescribere. Sed si in ejus praescripti confirmationem, Deuteronomio legi utitur, (hanc quippe divinam nuncupat) si ad Canonum statuta revocat, si Ecclesiae morem asserit, non est operae pretium rationes illas ad vivum refecere.) In crimen violati juris, potiori titulo vocari possit Joannes X. ob datam scandalosam dispensationem Hugoni filio Heriberti Aquitanie Comitis potentissimi, ut nondum quinquennis Archiepiscopatum Rheimensem adire posset, ad quem a Canonicis electus fuerat, ita tamen ut interim donec legitimum aetatem attigisset, Episcopalia munera obiret Abbo Svevionensis Episcopus, ejusdemque primus suffraganeus: ut refert Flodoardus lib. 4. historiae Rheimensis cap. 20. ac post illum Cabassutius in notitia Ecclesiastica saeculi 10., & Natalis Alexander saeculo 9. pag. 28.

Nostri tamen instituti non est, eam dispensationem: quam vere scandalosam fatemur, excusare. Satis nobis sit respondere Joannem X. Pontificem aliquoquin indignissimum, innumerisque sceleribus infamem, Catholicam fidem ea in occasione, non violasse; (de qua sola nobis hic quaestio est) etsi sacros Ecclesiae canones indignissime violaverit, pueri nondum quinquennis electionem approbando, & confirmando.

## CAPUT XIII.

*Ab Innocentio III. Bonifacio VIII. & Bonifacio IX. pravi dogmatis culpa depellitur.*

**I**N errantium Pontificum indice ponitur ab emulis Innocentio III. Juris licet Consultissimus, & in Theologicis apprime doctus: quae Serry Tom. V.

si qui sigillum Confessionis Sacramentalis referat aliquando posse, in ipso D. D. Cardinalium Confessorio, pronunciaverit, ac etiam iusserit referat. Quod ut probent, factum referunt, ex Casario Monacho Heisterbacensi, in Dialogis Miraculorum dist. 3. Cap. 32. feu lib. 3. Historiarum memorabilium Cap. 32. (In domo quadam Cisterciensis Ordinis, Monachus quidam sine ordine celebravit. Hoc cum die quadam Abbati suo retulisset in Confessione, nec tamen cessare vellet a tanta praesumptione; Abbas dolens & lacrymans, ut a blasphemia tam magna desisteret, miserum rogavit, monuit, praecipit, sed non profecit. Ille enim timens notari si cessaret, celebravit ut prius. In sequenti Capitulo generali Abbas idem proposuit casum eundem, interrogans quid faciendum foret Confessori, si forte tale quid in aliqua Domo emergeret. Cumque Dominus Cisterciensis, & ceteri Abbates super hoc nihil audent definire, casum scripserunt Innocentio Papae; qui convocans Cardinales virosque literatos, casum illis proposuit; & quid de hoc sentirent a singulis requisivit. Omnibus pene in hoc sententibus, quod Confessio non esset prodanda, respondit, Ego dico in tali articulo esse prodandam; quia talis confessio non est confessio, sed blasphemia; nec debet Confessor blasphemiam talem & insaniam celare, per quam periculum incumberet toti Ecclesiae. Et placuit sententia omnibus; scripsitque sequenti anno Capitulo, quod a se fuerat determinatum, & a Cardinalibus approbatum.)

At errat quisquis Innocentium III. eo lato iudicio errasse commissit. Erat dubio procul prodanda confessio, quae re ipsa Sacramentalis confessio non erat, sed simulatio confessionis. Sacrilagus quippe Monachus facinus suum Abbati suo detexerat, non animo se accusandi coram Deo, & subiciendi se Clavibus Ecclesiae, sed pertractandi Abbatem in criminis sui patrocinium, aut illum impediendi a puniendo scelere, quod alunde forte noverat; aut certe in illud inquirendi, quod ex vehementibus iudicis poterat suspicari. Qua in specie nemo negaverit prodandam esse confessionem; cum sacramentalis confessio re ipsa non sit, sed simulatio confessionis atque irrita, externa Sacramenti specie tecta, ad malum finem. Unde prudentissimus Pontifex dixit, *est prodanda confessio, quia non est confessio, sed blasphemia*.

II. Idem in simili specie iudicium tulit Innocentius huius nominis quartus; prodandam esse Confessionem Cardinalis nescio cuius, qui alteri Cardinali confessus erat, ut eum in criminis societatem pertraheret. Factum refert Dominicus Soto in 4. sent. dist. 18. quaest. 4. art. 5. *Cardinalis quidam, qui conspirationem in Pontificem moliebatur, confessus est alteri ejusdem ordinis Domino, & quidem Sacramentaliter, sed tamen ea intentione, ut eum in suam conspirationem traheret. Postea vero per aliam viam re comperta, Cardinalis qui confessionem audierat, de hoc accusatus fuit, quod rem non protinus detexisset; & ob id fuit pecunia multatus; & nisi ignorantiam sibi obdendisset, acerbius fuisset punitus*. Ob id certe quod huiusmodi confessio, per speciem duntaxat Sacramentalis, sigilli religionem non induceret.

Non omiserim tamen observare, Casarii Monachi fidem in Historiis referendis admodum esse lubricam. Tum quod sexcentas alias referat nannias, & fabellas, ab omni veri specie prorsus alienas; uti novissimus Dialogorum illorum Editor in praemissa operi praefatione monet. Tum quod hanc ipsam fidem de Monacho Cisterciensi Historiam, ex aliorum duntaxat relatione accepisse se, initio profiteatur. At de hoc satis.

D

III. Bo-



III. Bonifacio VIII. aliud longe gravius violatæ fidei crimen obicitur: quod nempe tanquam fidei Caput ab omnibus fidelibus credendum proposuerit, *Omnia regna mundi Romanis Pontificibus subesse in temporalibus*: qui tamen error est in fide intolerabilis. Imo quod hoc idem in celebri Decretali *Unam Sanctam*, inter alia capita definitur; quæ idcirco a Clemente V. Romano Pontifice, in Concilio Viennensi rescissa est.

Sed est illa per omnia capita calumnia putidissima. Primum quod obtenditur falsissimum est. Imo extat Oratio a Bonifacio VIII. habita in publico Consistorio anno 1301. quam Spondanus refert in Annalibus, qua nihil se hujusmodi somniæ profertur: hæcque sibi calumniam impatiendam queritur a *Petro Flota*, qui Epistolam ipsius nomine supposuerat, ubi hæc insolitas habebatur. Extat & Epistola Cardinalium Regni Nobilissimæ scripta, qua Bonifacium nihil hujusmodi vel scripsisse, vel fœmiasse contestantur.

Alterum quod subjicitur perinde falsum est. In Decretali enim *Unam Sanctam*, hoc unice definitur, *Subesse Romano Pontifici, omnino esse de necessitate salutis, omni humane creature*. Quod certe de subjectione in spiritualibus est intelligendum; idem ferme verbis in Concilio Lateranensi sub Innocentio IV. Sessione II. definitum est, non de subjectione in temporalibus.

Tertium æque falsum est, Clementem V. Constitutionem *Unam Sanctam* rescidisse: cum eam ille duntaxat exposuerit in Capite *meritis*; eam scilicet intelligendam esse decernens, ut nullum ex ea præjudicium Regi Regnoque Galliarum sit illatum. Imo cum anno 1310. Bullam edidisset Clemens V. qua varias Bonifacii VIII. Constitutiones revocabat, in sexto Decretalium minime contentas; Constitutionem tamen *Unam Sanctam* perinde ac antea stare voluit; iis temperamentis emolliam, quæ in Capite *meritis* a se fuerant adhibita.

Equidem, ut fatear bona fide quod res est, nonnulla in Decretali *Unam Sanctam* obiter inserta sunt, unde facile colligi possit, sensit Bonifacium VIII. Principum Christianorum Dominia, si minus directe, at saltem indirecè Romanorum Pontificum auctoritati subesse, si a fide quam professi sunt ipsi deficiant. Verum quidquid ea in parte veritas habeat, de qua meum non est ferre iudicium; fatendum tamen est, eam sententiam contra fidem Catholicam minime pugnare, imo & a viris summe catholicis omni retro ætate fuisse defensam, ac etiam in præsentia defendi. Ut vel sic pateat, nullam violatæ fidei labem Bonifacio VIII. iniuri posse, quod ira forte senserit, ac etiam ex Cathedra definiert.

IV. Bonifacium IX. a nonnullis reprehensum lego, quod Indulgentias Mediolanensibus concesserit, juri Divino palam aperteque repugnantes. Reprehensioni locum dedit quod scribit Bernardinus Corio in Historia Mediolanensi part. 3. pag. mihi 528. Bonifacium peculiari Diplomate indulgisse, ut in Dominio Vicecomitum, unusquisque a quocumque peccato esset absolutus, tamen nec contritus nec confessus esset: *Che ciascheduno nel Dominio del Visconti fosse assolto da qualunque peccato, se anche non fosse contrito, nè confessato*; modo certam pecuniam summam in pauperes erogaret, & ad certam divorum templa resarcienda largiretur. Quasi vero sine cordis contritione orisque confessione possit quis a peccatis absolvi, virtute Pontificis Indulgentiæ. Quare & hanc Indulgentiam admodum extraordinariam fuisse notat Historicus.

Non est tamen quod in ea Bonifacii Indulgentia reprehendatur, si qualis ipsa fuerit attendatur. Absolutio enim a peccatis concessa est, quantum

ad pœnas canonicas, ex publica Ecclesiæ lege peccatis gravius debitas; non quantum ad culpam, & pœnam æternam ex Divina iustitia subeundam. Per viam enim Indulgentiarum possunt pœnæ canonice, hominibus nec contritis nec confessis aliquando dimitti; quemadmodum possent & ipsæ Censuræ Ecclesiasticæ, excommunicatio, suspensio & interdictum, hominibus minime penitentibus, imo etiam nolentibus relaxari; quamquam culpæ ipsæ pœnæque ex Divina iustitia subeundæ, absque penitentia minime relaxentur. Idcirco vero Indulgentiam a Bonifacio Mediolanensibus datam, *extraordinariam* dixit laudatus Historicus; quia non solent Romani Pontifices a solis Canonice pœnis absolvi, ut fecit ea occasione Bonifacius; sed & a culpis & a pœnis ex Divina iustitia subeundis; idque partim virtute Indulgentiarum, partim virtute Sacramenti. Si porro scire aves, quantum illæ Canonice pœnæ sint, a quibus solis Mediolanenses ex Dominio Vicecomitum absolutos voluit Bonifacius, tamen forte neque contriti essent neque confessi; lege Canones penitentiales a S. Carolo Borromeo pro Decalogi ratione dispositos, & ex antiquis Patribus & Conciliis, nec non ex Penitentiali Bedæ, ex Penitentiali Rabani, & penitentiali Romano, necnon ex Burchardi Wormatiensis, Anselmi Lucensis, Yvonis Carnotensis, & Gratiani collectionibus, maximam partem descriptos.

## CAPUT XIV.

Joannes XXII. bina violatæ fidei accusatione oneratus a calumnia liberatur. Sixtus V. vulgatae versionis emendator excusatur.

I. Prima in Joannem XXII. calumnia perstrepat; quod animarum plene, & integre purgatarum felicitatem, Deique visionem, *quam facie ad faciem* Scriptura vocat, post ultimam corporum omnium resurrectionem, differendam docerit, ac etiam supra auctoritate definiert. Quod utique de illo testatur Hadrianus VI. in suis ad librum 4. Sententiarum Commentariis dist. 7. Imo probatis Historiæ monumentis constare dicunt, Joannem errorem illum tam fervide diffeminasse ac promovisse, ut iis pinguis Beneficia conferret, qui eum ex Sacro suggestu populis prædicarent. Generalem etiam Franciscanorum Ministrum *Gerardum* nomine Parisios delegasse, ut eundem illum errorem ab Academia Parisiensis suscipi curaret: Virumque ex adverso Religiosum ex Ordine Prædicatorum *Thomam Valesium* in carcerem conjici jussisse; quod eundem errorem e sacro suggestu Apostolica libertate confutasset.

Calumniam dixi Joanni XXII. impatiendam, nec elapsi verbi pœnitet. Quamquam enim negari omnino non possit, eum in illam sententiam, quæ animarum plene purgatarum felicitatem, post corporum resurrectionem differt, propendisse, ac si lubet admodum inclinasse; illud tamen peræque certum est, nihil eum ex Cathedra, ut ajunt, atque supra auctoritate definiisse. Liqueat id primum ex solenni declaratione, quam morti proximis scripto dedit, quamque ex integro refert *Odericus Raynaldus* in Annalibus ad annum 1324. Liqueat secundo ex *Joanne Villani*, scriptore illius ævi celeberrimo lib. 10. Historiarum Cap. 10. Liqueat tertio ex publico Documento Academiæ Parisiensis, Galliarum Regi *Philippo Valesio* dato, anno 1333. quod integrum retulit *Joannes Coeffeteus* Episcopus Massiliensis, in *Responsio ad Mysterium iniquitatis Philippi Mornet*. Quæ tria Hadriani VI. contrarium obiter attestantis suffragio longe præponderant. Cum is post annos circiter ducentos

ducentos flourerit, eaque de re obiter dixerit, in suo ad 4. Sententiarum librum Commentario, nondum Ecclesiæ Pontifex factus, sed privatus Theologiæ Doctor ac Professor in Academia Lovaniensi.

Quod de Generali Franciscanorum Ministro jactatur, perinde falsum est. Reclamavit enim in oppositum Joannes XXII. datis ad Regem Galliarum Epistolis; quibus contestatus est, se alio fine alioque consilio Ministrum illum in Gallias delegasse; ut scilicet de pace ageret, inter Reges Galliarum, & Scotiarum faciendâ.

Quod demum *Thomam Valesium* attinet, Prædicatorum Ordinis Professore, monet apophthete *Odericus Raynaldus*, fuisse illum in carcerem conjectum, non quod errore, de dilata ad diem usque iudicii animarum purgatarum felicitate, simpliciter confutasset; sed quod debita modestie modum excessisset; Pontificemque, cujus erat publice nota contraria sententia, pessimis modis habuisset, atque injuriis verbis affecisset.

II. Altera, qua oneratur Joannes XXII. accusatio struitur ex Historiæ Controversiæ, quæ cadente sæculo decimo tertio a Franciscanis excitata est, de religiosa paupertate, quam ipsi ad amusem, atque ad exemplar Christi Domini profiteri gloriabantur; Joanne XXII. contra Nicolao III. statuentem ac definiente. Definert scilicet Nicolaus, fratres Franciscanos veram profiteri Evangelicam paupertatem; propterea quod nullus omnino rei dominium haberent, ac ne quidem panis quem ederent, & vini quod biberent; sed usum fructum duntaxat haberent; horum vero dominium staret penes Summum Pontificem. Addiderat Nicolaus, Christum Dominum perfectissimæ strictissimæque paupertatis una cum Apostolis exemplum dedisse, nihilque prorsus etiam in commune habuisse cum ipsis; ut videre est in Cap. *exit*, de *verborum significatione* in Sexto. Contrarium tamen subinde definivit Joannes XII. in Extravagantibus: nempe in rebus usu consumptibilibus, (quæ profecto sunt panis & vinum) usum fructum a dominio separari non posse: atque ita privatos Franciscanos dominos esse & panis quem ederent, & vini quod biberent, illæ tamen quod emiserant strictissimæ paupertatis voto. Addidit Joannes, Christum Dominum aliquid in commune cum Apostolis habuisse: atque ita non obesse voto Evangelicæ paupertatis, si quid Viri Religiosi in commune possideant. Ex hac porro duorum Pontificum, tam contraria de paupertate Evangelicæ statuentium diffensione, alterutrum errasse, avidissime colligit Pontificiæ infallibilitatis impugnatores.

III. Cui tamen depellende calumniæ, satis sit observare, totam illam controversiam, quæ Ecclesiam universam diu multumque turbavit, ad fidem nihil attinere; sed fuisse in materia utrinque probabilis: atque ita a duobus illis Pontificibus fuisse iudicatam bona gratia, & ad sedandos turbatorum fratrum animos, juxta probabilis terminos. Idcirco illorum Pontificum nullus errasse in fide convincitur, nec Nicolaus III., nec Joannes XXII.

Disputant enimvero Jurum periti, an in rebus usu consumptibilibus, maxime vero comestibilibus & potabilibus, usufructus a Domino divelli possit? Negant id aliqui hoc nixi momento: *Ille est rei Dominus, qui jure eam destruere potest, destruitque re ipsa: sed qui panem edit, vinumque bibit, ea necessario destruit, edendo atque bibendo: illorum igitur Dominus est*. Atque ita usufructus a Domino in hujusmodi rebus non sejungitur. Oppositum tamen alii tenent, qui satis non esse putant, ut quis rei alicujus dominus censetur, si

Serry Tom. V.

eam utcumque ad naturalem usum destruere possit; sed ultra necesse esse, ut eam possit omni profus modo destruere; eamque possit, si libuerit, donare, vendere, commutare, projicere, atterere, igne absumere. Porro, subjungunt isti, privati Franciscani usum habentes, quem ipsa illorum natura ad sui sustentationem postulat, panis quem edunt, vinique quod bibunt; ea tamen donare non possunt, vendere, commutare, projicere, igne absumere: igitur usufructum illorum habent sine pleno dominio: atque ita apud illos usufructus a Domino sejungitur, quod penes solum restat Pontificem Romanum.

Disputant pariter Sacrarum Scripturarum Interpretes, Num Christus & Apostoli, secundum varios vitæ status, aliquid quandoque in commune habuerint? An archam illam paupertatem, qua nihil etiam in commune haberent, toto vitæ decursu coluerint? Extant enim in utraque partem Sacrarum Evangeliorum oracula. Matthæi 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris &c.* Matthæi 8. *Filius hominis non habet ubi reclinet caput suum.* Lucæ 8. *Mulieres ministrabant ei de facultatibus suis.* Quæ Christum & Apostolos nihil etiam in commune habuisse, videntur innuere. E contrario Joan. 13. *Judas loculos habuisse legitur, & quidem tanquam communis cæus Apostolici procurator.* Joan. 4. *Christus Discipulos in Civitatem misisse legitur, ut emerent cibos.* Et Joan. 13. *Christus aliquid egenis dari iussit.* Quæ contra videntur innuere, Christum Dominum aliquid in commune cum Apostolis habuisse. Ex quibus facile colligas, in materia utrinque probabilis pronunciasse Nicolaum III. & Joannem XXII. atque ita quidquid ferre veru falso judicant, nihil contra fidem errasse.

IV. Gravior longe multo in Sixtum V. intenditur criminatio: ut quod solenni Diplomate Sacris Bibliis præfixo, non modo errarit in fide, sed & ipsam primariam fidei regulam vitiarit atque corruperit. Factum hujusmodi est. Vulgatam Scripturæ Sacræ utriusque Testamenti versionem, ad fidem veterum Codicum corrigi, & emendari curavit Sixtus V. eandemque sic emendatam, legendam universis fidelibus proposuit, indicta anathematis pena omnibus ac singulis, qui eam ut authenticam non agnoscerent; aliæque in Scholis, scriptis, sacrisque congressibus usurparent. Vix circumferri cœpit Editio sic emendata, cum statim a viris eruditissimis linguarumque peritis observata in ea sunt menda longe plurima, quæ ad numerum supra millesimum collectæ sunt a *Thoma Jamesio*, in Academia Oxoniensi Artium Magistro, in libro cui titulum dedit *Bellum Papale*. Quibus postmodum excitatus Clemens VIII. omnia, quantum fieri potuit, publicatæ Sixtinae Editionis exempla intercepti jussit; novam diligentemque Vulgatæ Versionis emendationem, pristinis purgatam erroribus procuravit; pristinum Sixti V. Diploma suppressit; novaque Constitutione Apostolica Editionem illam novam repurgatam, emendatamque fidelibus legendam dedit, strictæque mandavit.

Conatu nihilominus irrito, factum illud, ad oppugnam Romanorum Pontificum asphaliam obruditur. Sixtus enim in ea publicanda Bibliorum Editione, minus tunc emendata minusque correctâ, nihil saltem contra fidem peccasse convincitur: cum nullum omnino mendum in ea relictum fidem læderet, aut etiam mores attingeret; sed omnia in minutis grammaticis sphaematibus, in levibus a Græco, & Hebraico textu distonantiis, & logomachiis versarentur: quæ ne omnia quidem secutis inde temporibus, sub Clemente VIII. sunt emendata, imo non pauca fuerunt relicta; ut



ex præmissa novo operi præfatione notum est. Sed nec quidquam falsi Diplomate suo dixit Sixtus V. dum correctam emendatamque Bibliorum Editionem publicare se dixit: quia non correctam emendatamque simpliciter dixit, sed prout optime fieri potuit. Ex certa nostra scientia, ait ille in Præfatione, atque Apostolica auctoritatis plenitudine, statuimus ac declaramus, eam vulgatam Sacra Scriptura, tam veteris quam novi Testamenti latinam Editionem, que pro authentica a Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione aut controversia, censendam esse hanc ipsam, quam nunc prout optime fieri potuit emendatam, ex Vaticana Typographia impressam, in universa Republica Christiana, atque in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis legendam exulgavimus. Nihil est ergo, quod ex Sixtina Sacrorum Bibliorum emendatione, contra Romanorum Pontificum Infalibilitatem, extundi possit.

## CAPUT XV.

Clemens XI. erroris purus & integer ostenditur, in celebri Constitutione Unigenitus, anno 1712. data die 8. Septembris.

I. Clementis XI. Constitutionem, Unigenitus vulgo dictam, hæreson errorumque sententiam, & Pontifici infallibilitatis sepulchrum vocare nil veriti sunt Protestantes; atque inter illos maxime Joannes Frichius Minister Ulmenis, vulgato libello famoso anno 1714. cui probrosum titulum dedit, Clementis inclementia examinata. Quæstionum Propositionumque ea Constitutione damnatarum elenchum & indicem texuit fatis amplum, ex quarum damnatione, infallibilitatis privilegio devolutum probare conatus est Clementem XI., & Pelagianis ceterisque Divinæ gratiæ hostibus aggregatum.

Nos igitur & contrario, ut Clementem erroris purum, & integrum ostendamus, propositiones ex damnatis de Divina gratiæ præcipuas seligimus, quæ minus censura dignæ Calviniano Ministro visæ sunt; & quo sensu a Clemente iuste meritoque confixæ sint, indicabimus: ut nulli violatæ fidei calumniæ pateat Clemens XI. pro munere & officio suo non inclemens, sed iustissimus & æquissimus iudex.

II. Propositiones Quæstionum de Divina gratiæ, a Clemente XI. censura notatæ.

Propositio 26. Nulle dantur gratiæ, nisi per fidem.

Propositio 27. Fides est prima gratiæ.

Propositio 28. Prima gratiæ quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

Explicatio Censuræ Clementinæ.

Intellecta propositiones illæ tres, de gratiæ actuali, quæ simplicis motionis, excitationis, & illustrationis sit, a Clemente XI. damnatæ sunt: cum huiusmodi gratiæ multæ sint ante fidem: fecus tamen, si de gratiæ habituali, qua peccator Deo salutis auctori primo conjungitur, accipiatur. Sic enim Catholica veritas est, ex Concilio Tridentino Sess. 6. de Justif. Cap. 8. Ex D. Augustino lib. de Prædest. Sanct. Cap. 7. lib. de gratiæ, & lib. arb. Cap. 14. & Tract. 3. in Joannem, & ex D. Gregorio Magno lib. 2. Moralium Cap. 46.

III. Propositio 29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratiæ.

Explicatio Censuræ.

Intellecta propositio generatim & univèrse de quacumque gratiæ, etiam actuali præveniente & excitante, damnata est; cum gratiæ huiusmodi multæ, etiam extra Ecclesiam positæ concedan-

tur: fecus tamen, si de gratiæ habituali accipiatur, quæ salutem operetur & vitam. Sic enim fidei dogma est, quo liquet extra Ecclesiam salutem obtineri non posse.

IV. Propositio 69. Fides, usus, augmentum, & premium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

Explicatio Censuræ.

Intellecta propositio de puræ liberalitatis dono, cooperationem humanam, & meritum ex ea cooperatione quæsitum excludente, damnata est: cum fides & fidei usus non nisi cooperantibus dentur a Deo; augmentum vero, & premium fidei, non nisi merentibus conferantur. Secus tamen, si de puræ liberalitatis dono humanam cooperationem, ac meritum ex ipsa gratiæ profectum importante & coronante accipiatur. Sic enim catholica veritas est, contra Semipelagianos definita. Ex Capitulis Cælestini R. P. epistolæ adnexis, ex D. Augustino lib. de gestis Pelagii Cap. 36. de natura, & gratiæ Cap. 6. ex Epistolis 105. & 106. & ex Concilio Tridentino Sess. 6. de Justif. Cap. 16.

V. Propositio 42. Sine fidei Sacrificio nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas est.

Explicatio Censuræ.

Intellecta propositio de impuritate & indignitate operis sine fide elicitæ; quasi omne opus sine fide factum, impurum sit, damnata est: quandoquidem non omnia infidelium opera sunt peccata: Secus tamen si de impuritate & indignitate ipsiusmet hominis sine fide operantis accipiatur. Sic enim Catholica veritas est, qua liquet omnem hominem infidelem, impurum esse, & Deo minime dignum.

Aut certe intellecta propositio de impuritate & indignitate positivæ, quasi opera sine fide facta vere proprie peccata sint, damnata est: Secus tamen si de indignitate & impuritate privativæ accipiatur; quasi opera sine fide facta, eam non habeant puritatem & bonitatem, qua Deo placere possint. Sic enim Catholica veritas est, sine fide impossibile est placere Deo.

VI. Propositio 57. Totum desit peccatori, quando ei desit spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

Explicatio Censuræ.

Intellecta prima propositionis pars, stricto & rigoroso sensu, damnata est: cum femota spe, maneat adhuc fides: Secus tamen si morali & ascetico sensu accipiatur: cum amissa spe salutis anchora, cetera quæ manent, ad salutem inutilia sint.

Intellecta secunda propositionis pars de amore habituali & dominante, qui Theologica virtus sit, damnata est: cum sine huiusmodi amore spes stare possit: Secus si de amore actuali nascente & imperfecto accipiatur propositio. Sic enim D. Augustini sententia est, in Enchiridio ad Laurentium Cap. 8. Spes sine amore esse non potest. . . . Nec amor sine spe est: Nec sine amore spes: Nec utrumque sine fide.

VII. Propositio 51. Fides justificat quando operatur: sed ipsa non operatur nisi per Charitatem.

Explicatio Censuræ.

Intellecta prima propositionis pars de fide se ipsa operante, seu proprio sibi actum efficiente, damnata est: quia fides minime justificat, dum proprium sibi actum elicit, nempe dum assensum divinis veritatibus præstat: Secus tamen si de fide per Charitatem operante intelligatur propositio. Fidem enim justificare, dum operatur per Charitatem, Apostolica Sententia est.

Intellecta secunda propositionis pars eo sensu, quasi non habeat fides aliquem sibi proprium actum

actum, damnata est: cum nulla sit virtus, cuius non sit aliquis actus proprius: Secus tamen si sic accipiatur, quasi vim justificandi non habeat fides, nisi dum operatur per Charitatem. Quo sensu Catholica veritas est.

VIII. Propositio 55. Deus non coronat nisi Charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

Propositio 56. Deus non remunerat nisi Charitatem: quoniam Charitas sola Deum honorat.

Explicatio Censuræ.

Intellecta prima utriusque propositionis pars eo sensu, quod nullus omnino sit aliarum virtutum valor, fructus nullus, premium nullum, damnata est: Unaqueque enim virtus suam mercedem accipit: Secus tamen, si eo sensu accipiatur, quod alia virtutes valorem supernaturalem a se ipsis nullum habeant, nullum se solis referant vitæ fructum, vitamque æternam se ipsis non mereantur; sed quatenus earum adus a Charitate imperantur. Sic enim Apostoli Doctrina est 1. ad Corinthios Cap. 13. D. Augustini lib. de gratiæ Christi Cap. 26. & D. Thomæ 1. 2. quæst. 114. art. 4.

Intellecta secunda prioris propositionis pars eo sensu, quod ad presentis vitæ honestatem nihil valeant sine Charitate edita quæcumque opera; nihilque ad temporalem felicitatem a Deo unquam consequi possit, qui sine motivo & impulsu Charitatis operatur & currit, damnata est: Utpote Sacris Litteris & Divo Augustino contraria: Secus tamen, si eo sensu intelligatur, quod ad salutem æternam nihil proficit edita sine motivo & impulsu Charitatis quæcumque opera. Sic enim Apostolica & Augustiniana doctrina est, locis paulo ante laudatis.

Intellecta etiam secunda pars secundæ propositionis de honore qualicumque Deo præstito, damnata est: Secus autem, si de vero honore proprioque cultu accipiatur. Deus enim non colitur nisi amando, inquit D. Augustinus Epist. 167. ad Hieronymum. Et quis est cultus Dei, nisi amor ejus? lib. 12. de Trinitate Cap. 14.

IX. Propositio 50. Frustra clamamus ad Deum, pater mi, si spiritus Charitatis non est ille qui clamat.

Propositio 53. Sola Charitas Christiano modo facit actiones Christianas, per relationem ad Deum, & Christum.

Propositio 54. Sola Charitas est, qua Deo loquitur.

Propositio 58. Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.

Explicatio Censuræ.

Intellecta propositiones illæ quatuor de qualicumque colendi, loquendi, & operandi modo, damnatæ sunt: Cum possit unusquisque qualicumque modo illi facere etiam sine Charitate: Secus tamen, si de meritorio colendi, loquendi, claudendi, & operandi modo accipiatur. Cum nullum sit sine Charitate meritum, fructus nullus: juxta illud Augustini lib. 3. de Doctrina Christiana, Cap. 10. Non est fructus bonus, qui de Charitatis radice non surgit.

X. Propositio 54. Non sunt nisi duo amores, unde voluntiones omnes & actiones nostræ nascuntur; amor Dei qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipsos & mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum est, non refert; & propter hoc ipsum fit malus.

Propositio 46. Cupiditas & Charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

Propositio 49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

Explicatio Censuræ.

Intellecta propositiones illæ tres de Charitate

habituali perfecta dominante, quæ Theologica virtus sit; simulque de Cupiditate pariter dominante, damnatæ sunt: Secus autem, si de Charitate qualicumque etiam actuali, remissa, nascente, imperfecta, quæ veri boni dilectio dicitur, accipiatur; uti & de qualicumque cupiditate, amoreque creaturarum & nostri: sic sane Catholica veritas sunt.

XI. Propositio 10. Gratiæ est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.

Propositio 11. Gratiæ non est aliud quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.

Propositio 12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem.

Propositio 13. Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ sue manu, nulla voluntas ei resistit.

Propositio 14. Quantumcumque a salute remotus sit peccator obstinatus, quando JESUS se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, se se humiliter, & adoret Salvatorem suum.

Propositio 15. Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unitione sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur ille in corde obedientiam quam petit.

Propositio 16. Nulle sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil resistit Omnipotenti.

Propositio 17. Gratiæ est vox illa Patris, quæ homines interius docet, & eos venire facit ad JESUM Christum. Quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorum Filii, nullatenus est doctus a Patre.

Propositio 18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

Propositio 19. Dei gratiæ nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas.

Propositio 20. Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obediri; imperat, & omnino sunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ei submissa sunt.

Explicatio Censuræ.

Intellecta propositiones illæ generatim & univèrse de quacumque actuali interiorique gratiæ, uti & de quacumque Dei voluntate, damnatæ sunt: Secus tamen si de prima, eaque præcipua interioris actualisque gratiæ specie, videlicet efficacis; deque absoluta Dei voluntate, quam consequentem Schola vocitat, propositiones accipiatur. Sic enim orthodoxæ sunt, & ab Augustino iisdem ferme terminis assertæ lib. de Corrupt. & gratiæ Cap. 12. & 14. lib. 1. operis imperfecti Cap. 93. In Enchir. Cap. 98. lib. de gratiæ & lib. arb. Cap. 20. lib. de Prædest. SS. Cap. 8. lib. de gratiæ Christi Cap. 14. Epist. ad Vitalem olim 107. nunc 217.

Rursus Propositiones illæ, quæ potentiam resistendi gratiæ, eamque frustrandi impediendi ac retardandi insinuant, de potentia antecedenti, & actus primi intellectæ, iuste meritoque damnatæ sunt: Secus si de potentia consequenti, & actus secundæ accipiatur. Sic enim & Orthodoxæ sunt, & ab Augustino locis paulo ante laudatis assertæ.

XII. Propositio 38. Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratiæ liberatoris.

Propositio 39. Voluntas, quam gratiæ non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se precipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.



Propositio 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

Explicatio Centurae.

Intellecta propositione illa de libertate naturali, & de potestate antecedenti, seu *actus primi*; quasi nulla in homine actuali gratia destituta remanere dicatur libertas, & potestas ad bonum, damnatae sunt: Secus tamen, si de libertate & potestate consequenti, & *actus secundi* fumantur; quae sine gratia actuali, nulla ad bonum dicatur esse. Sic enim Orthodoxa Doctrina est, ab Augustino saepius tradita: praesertim vero lib. 3. operis imperfecti Cap. 112. *Nemo liber est ad agendum bonum, sine adiutorio Dei.* Et Cap. 114. *Nemo nisi per gratiam Christi, ad bonum quod vult agendum, potest habere liberum voluntatis arbitrium.* Quibus & paria habet lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. 3. & lib. 2. Cap. 6. & lib. de Spiritu & vita Cap. 3.

XIII. Propositio 20. *Omnis quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.*

Propositio 31. *Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem in cordium afferunt, quando eis illam optat.*

Explicatio Centurae.

Intellecta propositione illa duae de quavis Dei voluntate, ac de quibusvis Christi desideris; adeo ut nullam proflus voluntatem Deus habeat salutis illorum, qui re ipsa minime salvantur; nullum omnino Christus pro salute illorum desiderium foeverit, qui eam minime consequuntur; damnatae sunt: Secus tamen, si de absoluta, efficaci, decretoria Dei voluntate, nec non de absolutis Christi desideris accipiatur. Sic enim Orthodoxa omnino fuit propositio illa, iuxta illud Divi Fulgentii lib. de Incarnatione & gratia Christi Cap. 31. *Omnis quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur: Nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri: Nec est quisquam quem Deus salvari velit, & non salvetur.* Illudque Doctoris Angelici 3. P. q. 21. art. 4. *Omnis absoluta voluntas Christi etiam humana, fuit impleta, quia fuit deo conformis: & per consequens omnis ejus oratio suis exaudita.*

Ex quibus omnibus Clementinae Constitutionis explicationibus illud tandem reliquum est, erroris purum & integrum fuisse Clementem XI. & a concessio Romanis Pontificibus Apostalice seu infallibilitatis privilegio nullatenus, ut Calvinianus Minister deblaterat, excidisse.

At ecce insurgunt in me modo scriptiois hujus cavillatores atque reprehenses, meque de bono opere veluti lapidant. Ecce, inquit illi, Quaesnellianae propositiones, quo sensu a Clemente XI. damnatae fuerint, explicare aggressus es; quod ille rogatus licet a Galliarum Episcopis, noluit explicare? Respondeo Clementem supremam auctoritatis suae retinentissimum, iis Episcopis explicare noluisse, qui latum iudicium nisi prius explicaret; recipere detrectabant. Sic enim iudicium ipse suum illorum cavillationibus permisisset, quos ad obsequium pronos volebat, non tergiverfantes, non indociles; alias tamen explicare paratissimus erat, ubi semel latum ante iudicium reverenti animo exceperent. De cetero nec Clemens XI. nec ullus alius Romanorum Pontificum vetuit unquam, ne privati Theologi propositiones ab Apostolica Sede damnatas, quo sensu damnatae sint, explicent, dum earum damnatio illis obicitur, & in contrarium sensum, ad veritatis impugnationem detorqueatur. Quod Calvinianus Minister Ulmenis impie fecit, ut Clementem XI. ob latam in Quaesnellianae propositiones damnationem, Pelagianis aggregaret, & infallibilitatis privilegio devolutam ostenderet. Certe

quotquot excitatis initio turbis, Clementinae Constitutionis apologias adornarunt, ut eam adversus refractoriorum querelas; atque dicteria tuerentur, haud alia meliori via causam orarunt, atque vicerunt, quam quo sensu propositiones ex iis multae damnatae essent, quo sensu non essent; explicando. Idque non ignoratum habuit Clemens XI. etsi damnatas propositiones per sese exponere, varioque illarum sensu distinguere; Gallicanis Episcopis recusasset. Non est id ergo privatis Theologis vetitum, adeoque nec mihi, dum lata Pontificiae damnationis orthodoxiam, contra Calvinianum Ministrum, vindicare aggredior, ex ipso suscepti operis instituto.

#### C A P U T XVI.

Explicatur quorundam Pontificum dicta, qui & se, & Praedecessores suos errori obnoxios ultro citroque professi sunt.

I. Purgatis ab errore tam multis Romanis Pontificibus, quos aut violatae Catholicae fidei, aut corruptae morum doctrinae morosi censores accusaverant: horum nunc expendenda sunt dicta Pontificum, qui sin minus re ipsa errarunt, at & se, & Praedecessores suos errare potuisse professi sunt; fuorumque errorum, si quae forte contigissent, veniam postularunt. Ineptus enim patronus ille fuerit, qui fatentem reum, ac sponte confessum purgare voluerit.

In his primus est Leo IV. qui Canone si incompetentem causa 2. quaest. 4. Ludovicum Augustum Galliarum Regem alloquens, inquit, si incompetentem aliquid egimus, & in abditis iusto legis tramitem non conservavimus, vestro vestrorumque missorum cuncta volumus emendari iudicio.

Alter est Innocentius III. Sermone 2. de Consecratione Pontificis: In tantum mihi fides est necessaria, ut cum de ceteris peccatis Deum solum iudicem habeam, propter solum peccatum quod in fide committitur, possem ab Ecclesia iudicari. Et Serm. 3. Propter fornicationis errorem, potest Ecclesia Romanam dimittere seu repudiare Pontificem.

Tertius est Clemens VI. qui gravi morbo in vita discrimen adductus, ea in quibus forsitan vel ante Pontificatum, vel in ipso Pontificatu errare potuisset, solenni Diplomate revocavit. 7. Idus Decembris anno 1351. (Nos qui inter peccatores res peccator, viximus, infirmitatem nostram poenitentiae passibus metientes, si qua dudum in minoribus constituti, & postquam ad fastigium Apostolicae dignitatis Divina bonitas dignanter potius quam digne provexit, Nos disputando, legendo, praedicando, aut alias contra Catholicam veritatem & fidem, vel bonos mores, ex lapsu linguae precipitanter forte protulimus; revocamus, & volumus pro revocatis haberi; & ea omnia Sedis Apostolicae auctoritati submittimus, & supponimus corrigenda.)

Quartus est Urbanus V. qui (ut refert illius vitae coevus Scriptor, a Domino Bosqueto publicatus) anno 1370. mense Decembris, morbo correptus, Sacramentis summa pietate susceptis, praesentibus Camerario, Confessario, multique aliis familiaribus suis; ac insignibus personis, professus est, (se tenere & credere firmiter quicquid Sancta Catholica & Apostolica tenet, & docet, & praedicat Ecclesia: & si per prius docendo, legendo, aut disputando, vel alias, aliud quovis modo praedicaverat, vel dixerat, totum id revocavit, voluitque haberi pro non dicto; submittens se & dicta sua hujusmodi correctioni, & determinationi dictae Sanctae Matris

Ec-

„ Ecclesiae, a qua asseruit numquam se deviasse scienter. )

Quintus est Gregorius XI. qui condito a se Testamento, die 15. Maji anno 1374. haec inscripsit: (Item volumus, dicimus, & protestamur ex nostra certa conscientia, quod si in Consistorio, aut in Consiliis, vel Sermonibus, vel Collationibus publicis vel privatis, ex lapsu linguae, aut alias, ex aliqua turbatione, vel etiam laetitia inordinata, aut praesentia Magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate, aliqua dixerimus erronea, contra Catholicam fidem, quam coram Deo publice, ut tenemus, praeter ceteris profitemur, colimus, & colere cupimus; seu forsitan ad haerendum aliquorum opinionibus contrariis fidei Catholicae, scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam religionem obloquentibus; illa expresse & specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis.)

Postremus est Paulus IV. qui a Rege Galliarum rogatus, ut Matrimonium per verba de praesenti contractum, inter Ducem de Monmorancy, & Comitissam Pienam rescinderet, Congregationem Praelatorum, & Theologorum instituit, ut ipsi diligenter examinarent, quid hac in re posset Romanus Pontifex, eosque ad se vocatos his verbis affatus est: *Ne quiesco Vos terreant Deceptorum meorum facta & exempla; quae eatenus sequi volo, quatenus Scripturae auctoritas, & Theologorum rationes nos ad illud agendum inducent. . . Non dubito quin ego, & Decessores mei errare aliquando potuimus, non solum in hoc, sed etiam in pluribus aliis rebus generibus. Ita refert Joannes de la Haye, qui praesens aderat; ejusque narratio fertur ex integro, in Michaelis Castelnavi Malviffarii Commentariis Tomo 2.*

II. Tot illas Romanorum Pontificum professiones, quibus se, suosque Decessores errori obnoxios, tam pie quam modeste fatentur, quo diligentius expendo, eo minus in eis invenio, quod Romanorum Pontificum Apostalice, qualem huc usque defendimus, adverteretur. Hos enim falli & fallere nescios, nullique errori obnoxios demonstravimus, quoties et Sacro Tribunali, servatque formulis, in materia morum & fidei sententiam dicunt. Si vero qui modo laudantur in objectione Pontifices, se suosque Decessores errori obnoxios nude ac simpliciter dicunt, nulla vel servatarum ab ipsis formularum, vel latae ab iis de tribunali sententiae facta mentione; ut plane privatorum tantum Doctorum, non Summorum Pontificum conditionem spectasse videantur, dum se suosque Decessores errori obnoxios declarant.

Nec refert, quod se etiam in Consistorio errare potuisse professi sint aliqui. Nec enim in Consistorio iudicia semper pro potestate fuerunt Romani Pontifices, sed consilia saepius agitant, negotia tractant, causas expendunt & quidem quandoque mere civiles, atque politicas, cum Eminentissimis Patribus; quin idcirco sententiam ex juris formulis ferant. Possuntque plane in ea negotiatorum consultatione & tractatione, pro humanae conditionis infirmitate aberrare, absque ullo Pontificiae Apostalice seu infallibilitatis dispendio.

De cetero Romanos illos Pontifices, qui pias illas atque modestas de sua tenuitate professiones ediderunt, non ideo se, suosque Decessores, errori obnoxios existimasse, dum de tribunali sententiam dicerent, illud probat aperte; quod illo-

rum aliqui, qui ita de se modeste fenterunt, Romanorum tamen Pontificum, ubi ex Cathedra iudicium faciunt, infallibilitatem acris propugnaverunt. Sic Innocentius III. qui secundo hic loco nobis obicitur, ille inquam, Epist. 209. quae est ad Patriarcham Constantinopolitanum, *Petri Successores a fide Catholica nullo unquam tempore deviasse profitetur.* Et Clemens VI. inter agticos, quorum subscriptionem ab Armenorum Patriarcha postulavit, ut possent Ecclesiae Romanae ex integro cofociari, tertium decimum posuit: *Si credidisti & adhibe credis, solum Romanum Pontificem in dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, posse per determinationem athenicam, cui sit inviolabiliter adherendum, finem imponere; & esse verum & catholicum quicquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo, determinasse esse verum; & quod determinat esse falsum & haereticum, tale sit censendum? Quo nihil potest discretus postulari, ad publicam Romanorum Pontificum infallibilitatis professionem.*

III. Reponet forte nonnemo, Clementem IV. dato rescripto ad Abbatem Casae Dei, qui nonnulla Monasterio suo privilegia concedi postularat, respondisse, *Comperimus Praedecessores nostros Monasteriis dedisse privilegia, divino juri & humano contraria, quae rationabiliter annullare possumus: Porro Pontifices privilegia concedentes, agunt ut Pontifices, & ex plenitudine Pontificiae potestatis, non ut privati Doctores, & ex humana facultate: Cum ergo nusquam privilegia concedant, nisi prius iudicent ea se posse concedere, absque juris Divini violatione; consequens est, Clementem IV. existimasse, Pontifices ut Pontifices, & ex Cathedra iudicantes, errare omnino posse; iudicando scilicet id se posse concedere, quod est juri divino contrarium.*

Respondeo argutum illam mero aequivoce laborare. Agunt quidem Pontifices, uti Pontifices, & ex plenitudine potestatis, dum privilegia concedunt, gratiasque dispensant: at non perinde uti Pontifices & ex Cathedra iudicant, ea se posse dispensare atque concedere; quasi ea de se solenne iudicium ferant, & definitivam sententiam ex tribunali pronuntiant. Sed prudenti duntaxat & doctoreali, de dispensationum & concessionum aequitate & honestate, iudicio ducuntur, ut dispensent atque concedant, iuxta varias ea de re Theologorum Jurisque peritorum opiniones atque sententias. Ex. gr. Dum dispensant quandoque Romani Pontifices super Matrimonio rato & non consummato, aut super voto Castitatis, etiam per professionem Religiosam celebrato; etiam plenitudine Pontificiae potestatis ita dispensent; non illico tamen ex tribunali definiunt, iudicantque canonicè, posse Romanos Pontifices in hujusmodi dispensare: (Equot enim etiam nunc eruditi viri id illos posse negant?) Sed variorum Theologorum Jurisque peritorum opinionem amplexi Romani Pontifices, dispensare se posse probabiliter iudicant. Quapropter si ea in re falluntur & errant, (de quo iudicare ipse nolim) non uti Pontifices & ex tribunali falluntur & errant; sed uti privati Doctores, privatorum opinionibus & sensibus ducti.

IV. At inquis, Hadrianus VI. in Commentariis ad 4. librum Sententiarum Dist. 7. conceptissimis verbis habet: *Si per Romanam Ecclesiam intelligatur Caput illius, puta Pontifex, certum est quod possit errare, etiam in his quae tangunt fidem, haeresim per suam determinationem aut Decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani haeretici.*

Respondeo Commentarios illos ab Hadriano fuisse editos ante Pontificatum, dum publicus in Aca-



## CAPUT XVII.

Academia Lovaniensi Professor esset: Atque ita suffragium illud Hadriani VI. non esse, sed Hadriani Florentis, privati inquam Theologi, non Romani Pontificis. Imo verisimilimum est, Hadrianum Pontificem factum, eo in capite mutasse sententiam. Quandoquidem in eam ille mentem venerat primum, dum Lovanii scriberet; quia Romanum Pontificem dispensare non posse sentiebat cum simplici Sacerdote, ut Sacramentum Confirmationis administraret; nec alia via poterat expedire se se ab argumento in oppositum sibi facto, ab exemplo D. Gregorii Magni R. P. (qui cum Calaritanis Presbyteris ea in specie dispensasse dicitur) quam si reponeret, Gregorium, tamen Romanum Pontificem errasse, eam dispensationem concedendo. Porro ab ea illum sententiam receperat, ex quo factus est Pontifex, verisimilimum est: cum parem ille dispensationem fratri Galapioni concesserit, Missionario in Indiis Apostolico: quam refert Lucas Vadingus in Annalibus.

Neque obest, quod Hadrianus VI. etiam Pontifex factus, suos illos Commentarios novis Roma typis edi voluerit, præfixo etiam in fronte Stemmate Pontificio, quin vel verbum ad eum locum immutaverit. Id enim fortasse fecit, non ut se pristina sententia tenacem ostenderet; sed ut suæ illius sententiæ, quam Lovanii quondam docuerunt, certum extaret posteris monumentum. Equis etiam certo sciat, an suos ipse Commentarios recognoverint Pontifex factus, qui aliis longe pluribus, usque melioribus curis erat occupatus? An etiam Romanam illam Editionem adornari iusserit, sub ipsum Pontificatus initium, antequam pristina sententiam, occasione dispensationis Galapioni concessæ, mutasset? Nihil itaque ex illa curata Romæ Commentariorum Editione, in qua nihil legitur immutatum, extyphum potest, ut Hadrianum VI. sententiam pristinae minime mutasse demonstraret: cum alias extet non leve mutata ab eo sententiæ monumentum.

De Hadriano itaque certo statuendum, sententiam illam cum dignitate mutasse; atque id quidem, ut credere par est, non proprii commodi studio, sed veritatis ferius agnita amore, ac religione. Quod Pium II. perinde fecisse Historici produnt, alterius sententiæ occasione, quæ Romanos Pontifices Concilii Œcumenicis subiecit; quam ille Basileæ firmiter tenuit, dum illic Concilium Aquarum esset, subinde vero deferuit, soluto Concilio. Quamquam eo in capite, calumnia Pio II. ab amulis structa est; qui palinodiam ab eo decantatam exprobarunt, non veritatis amore ferius agnita, sed propriæ utilitatis studio; ut Pontificiam quam postmodum adeptus est dignitatem, altius efferret. Quam ille calumniam in ipsa retractationis suæ Bulla repellendam existimavit, sententiam diu ante Pontificatum mutatam ostendens. *Dicent fortasse aliqui, cum Pontificatu, hanc nobis opinionem advenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam. Haud ita est, longe aliter actum. Ex Basileæ clericali tantum charactere insigniti recessimus; nec unquam Sacros Ordines ambivimus, nisi post veritatem agnitam, Basileensi cecitate relicta. In Austria Minores Ordines, ac Subdiaconatum, & Diaconatum recepimus; in Urbe ad Presbyteratum pervenimus. Diu ergo ante Pontificatum, priorem sententiam deseruerat, qui eam ante susceperat Sacros Ordines revocaverat.*

*Relique, contra Romanorum Pontificum asphaliam, difficultates expediuntur.*

I. AD extrema momenta diluenda devenimus, quibus non directo, sed oblique tantum, & per consecutiones longius arcessitas, Romanorum Pontificum infallibilitas oppugnatur.

Sunt igitur, ut ad rem statim veniamus, qui obijciant, Pelagium I. casu quodam, in causa fidei solenniter & ex Tribunali, definienda, errori obnoxium se dedisse, ac sponte professum esse. Casum porro ita referunt atque exaggerant vehementius. Quo tempore quinta Synodus Œcumenica, seu Constantinopolitana secundæ nomen erat universim accepta, sed a multis erratica putabatur, quod Concilium Chalcedonenis, & S. Leonis fidem laesisset videretur: Pelagius I. qui eam Synodum in auctoritatem receperat, in violatæ fidei suspensionem venit, apud Episcopos Galliarum presertim, & Tusciæ. Is autem ut fidem purgaret suam, claram atque distinctam professionem illius edidit, qua anathematizare se dixit, quidquid Concilium Chalcedonenis, & S. Leonis fidei adfuerat; eamque ad Childbertum Galliarum Regem transmittens, Epistolam clausit his verbis: *Hoc breviter ad sanandum animum vestrum, vel omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum, in Gallia regionibus, consistendum faciendum esse prospeximus.*

Eodem ferme modo Episcopis Tusciæ Pelagius satisfecit, deditque suæ fidei rationem, scripta ad eosdem Epistola: *hoc, inquit, dilectionem vestram certissime nosse desidero, me illam donante Domino custodire fidem, quam Sacra Apostolorum doctrina constituit, quam Nicæna fidei firmavit auctoritas; quam Constantinopolitanæ, & Ephestinæ primæ, & Chalcedonenis, Sanctorum Synodorum explicaverit sententia: Nec quidquam de presertim Synodorum definitionibus vel inminuisse aliquid, vel auxisse, aut in aliquo permutasse. Hac igitur dilectio vestra fidei nostræ professionem munit, ignorantiam hominum edocere festinet. Denique id subdit: si quibus superstiti scrupulus, ad nos veniant, ut rationabili satisfactione percepta, universali reformetur Ecclesia. Nos enim secundum Apostolicam sententiam, parati sumus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de ea que in nobis est fide: quia in nullo nos a Sanctis Patribus deviasse cognovimus.*

Ex quibus avidissime colligunt argui disputatores, Pelagium I., hac ipsa agendi scribendique ratione, semetipsum errori obnoxium fassum esse. Cum enata de fide sua apud Gallos & Tuscos sinistra suspicione, fidei professionem ediderit, miserique quaquaversum, nec suam potius omniumque Pontificum Romanorum asphaliam, errandique impotentiam inclaravit, superbeque jactavit.

II. Quis quæso non illa risu quatit, ubi tam absurdas consecutiones a feris disputatoribus elici videt? Quasi vero non possit quis publicam fidei suæ professionem edere, ut malas de se suspiciones amoveat, quin illico errori se obnoxium fateatur. Petrus ergo, si sic est, cuius exemplum secutus est Pelagius I. & excusationis verba transcripsit in data ad Tuscos Epistola, Petrus inquam erroribus obnoxium esse fassus est Christianorum fidem, dum paratos fideles omnes esse iussit, ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea que in ipsis est fide. Imo & semetipsum (si ita licet arguari) errori in fidei prædicatione obnoxium fassus est idem ille Apostolorum princeps, dum enata Jerosolymis sinistra quadam de ipso suspicione, querulis fratribus, ac etiam in ipsum disceptantibus, quod ad gentes accessisset, & sacro baptis-

mate

mate initiasset, satisfactionem illico dedit; nec suam in fide prædicanda errandi impotentiam in clamavit, suamque infallibilitatem, & asphaliam superbe jactavit. Apagæ ergo nugaces illas argumentationes, indignas quæ a Viris Theologis in medium proferantur.

III. Altero tamen nodo difficultatem implicant, ut futilis argumenti vires instaurant. Episcopi, inquit, Galliarum, & Tusciæ, qui in eam de Pelagio I. suspensionem venerant, quod erraticam, ut putabant, Synodum approbasset, & in auctoritatem receperat, eum saltem errori obnoxium agnoscebant. Nec enim eum in tantum errorem se ipsa incidisse putassent, quem in errore labi non posse existimassent. Romanorum itaque Pontificum asphaliam, seu errandi impotentiam ea ætate non noverant Tusciæ & Galliarum Episcopi.

At non est nodus iste tanto vindice dignus. Reponere quippe facile est, Gallos & Tuscos Episcopos existimasse, Pelagium I. erraticam Synodum approbasse, errore facti duntaxat, non dogmatis: hoc est non intellecto legitimo decretorum illius Synodi sensu; non autem dato erroribus, qui Synodo huic affingebantur, assensu. Atque ita Episcopos illos, Pelagium I. errantem in fide, ac etiam si lubet hæreticum existimasse, errore scilicet atque hæresi, ut Schola loquitur materiali, non item formali. Quo pacto universi Orbis, ex fraude facti in Concilio Ariminensi, Arianus existimatus est ab Hieronymo; ob incautam scilicet & imprudentem Ariani formulæ subscriptionem. Hoc porro sensu si & errans in fide, & hæreticus existimatus est Pelagius I. a Gallis & Tuscis Episcopis, haud ita forte male habet: nec illius infallibilitati, qualem hic in Romanis Pontificibus vindicamus, injuria ulla est irrogata.

IV. Alterum adversus Romani Pontificis infallibilitatem momentum urgeat importuni Osares, superiori non ab simile, & ex eisdem quintæ Synodi, quæ multis initio erraticæ visa est, historia delibatum. Quo tempore, inquit illi, sinistra illa de quinta Synodo opinio multorum animis adhuc hærebat; (quod nempe Concilium Chalcedonenis, & S. Leonis fidem violasset,) S. Columbanus ex intima Scotia, ubi natus & educatus fuerat, in Italiam venit. Cumque observasset, tam populorum, quam Præfulum studia hac ipsa de causa scissa esse; gravem ad Bonifacium IV. quem quintæ Synodo adfaverat noverat, dedit Epistolam plenam exprobrationum atque minarum, ut illum a fictitio errore ad officium revocaret. Hujus hæc erant sparsa undique verba nec dicam, an probra? (Doleo de infamia Cathedralis S. Petri. . . ut honore Apostolico non careas, conserva fidem Apostolicam, conserva testimonio, roborata scripto, muni Synodo. . . Vigila Papa, vigila; quia forte non bene vigilavit Vigilus, quem caput scandali isti clamant. . . Causa schismatis incidatur cultello quodammodo S. Petri, id est, vera in Synodo fidei professione. . . dolendum ac descendum, si in Sede Apostolica fides Catholica non teneatur. . . Quare infamare ausus es fidei Orthodoxæ Sedem principalem. . . Age ut caligo suspensionis tollatur de Cathedra S. Petri. . . Jam vestra culpa est, si vos deviatistis de vera fiducia, & primam fidem irritam fecistis. Merito vestri juniores (hoc est inferiores) vobis resistunt, & merito vobiscum non communicant, donec memoria perditorum deleatur. Vestri erunt iudices, qui semper Orthodoxam fidem servaverunt, licet juniores vestri sint. . . Sicut magnus honor vester est, pro dignitate

Serry Tom. V.

Cathedræ, ita magna cura est necessaria, ut non perdatis vestram dignitatem per aliquam perverfitatem. Tandiu enim potestas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanerit. . . Multum dubitant de fidei vestra puritate. . . Toleratis hunc nævum de Sanctæ Cathedralis claritate. Non enim decet Romanæ Ecclesiæ gravitatem, hac infantis levitatis forma moveri a soliditate veræ fidei.) Ex quibus Columbanus verbis ac probris colligunt Pontificiæ infallibilitatis oppugnatores, Bonifacium IV. unaque cum ipso Sede Apostolicam, Ecclesiamque Romanam Urbis scilicet ambitu conclufam, in errorem, & schisma fuisse prolapsam; iudicio quidem Viri omnium ætate illo Sanctissimi, cujus memoria in Romano Martyrologio celebris est, ad diem 21. Novembris. Atque ita nullum inesse Romanis Pontificibus, etiam ex assensu Ecclesiæ suæ iudicantibus, infallibilitatis privilegium.

Sed & brevi observatione tota vis hujus argumenti prosternitur, brutumque fulmen cadit in irritum; si videlicet observetur, Columbanum, quantalibet sanctitate conspicuum, ætate prima schismaticis trium Capitolulorum defensoribus studio fuisse junctum, eorundem artibus initio circumventum & implanatum: (quæ fors illi cum aliis longe multis eximia sanctitatis viris, antequam clara dies tenebras depulisset, communis fuit.) Eumque Epistolam illam acrem nimis ac vehementem, ex illorum sensu atque sententia, ad Bonifacium destinasse, ut deploratam illorum causam, contra quintam Synodum erigeret urgeretque. Quare omni proforsus auctoritate, dum eam Epistolam scriberet, exciderat Columbanus: ut plane mirari fubeat, ejus nobis suffragium tamquam Sacrum Oraculum venditari.

V. Succedit eo in ordine momentum tertium longius arcessitum, quo nos demum impetunt adversarii. Octavo vertente sæculo, inquit illi, sub Carolo Magno, Ludovico Pio, & Carolo Calvo, religiosissimis Regibus, Galli Nicænam Synodum secundam, in qua cultus sacris imaginibus debitus fuerat definitus, pro Œcumenicam non habebant, nec recipiebant; quamquam fuisset illa ab Hadriano I. Summo Pontifice suscepta & approbata: nec tamen idcirco minus pii, minusque religiosi habebantur. Non itaque religio ac pietas postulat, ut Pontifices, in approbandis Conciliis Œcumenicis, infallibiles agnoscamus: tamen Conciliorum, in quibus decreta fidei edita sunt, approbatio & confirmatio, fidei ac religionis causa sit.

Solutio omnibus obvia est: Gallos uti & Germanos, secundam Nicænam Synodum, uti Œcumenicam non habuisse tunc temporis, propterea quod ad eam soli Orientales Episcopi convenissent, Occidentales vero more Ecclesiastico vocati non essent. Qua tamen occasione nihil Galli atque Germani, contra datam ab Hadriano I. approbationem atque confirmationem agebant. Quia quamquam eam ille Synodus suscepisset, solenni tamen ritu non confirmaverat, datus ut moris eras ad omnes Orbis Ecclesias Epistolis. Uti notat Natalis Alexander in synopsi sæculi septimi Cap. 2. §. 4. Quapropter secundam Synodum Nicænam uti non noverant ab Hadriano confirmatam, ita nec confirmationem parvi pendebant aut repudiabant. Imo de Hadriani, aliorumve Romanorum Pontificum, in approbandis confirmandisque Conciliis Œcumenicis, fallibilitate aut infallibilitate, nec per somnium cogitabant. Ut plane nihil inde adiumenti possit esse ad partis adversæ defensionem.

VI. His depulsis nebulis, momentum superest unicum a ratione petendam, quod religionem in-

E

cau-